Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift

turpitudo · aut stultiloquium · aut scurilitas · quæ ad rem non pertinet · sed magis gratiarum actio · Hoc enim scitote intelligentes · quod omnis fornicator · aut immundus · aut auarus quod est idolorum seruitus non habet hereditatem in regno xi et dei · Nemo uos seducat inanibus uerbis · Propter hæc enim uenit ira dei in filios diffidentiæ · Nolite ergo effici participes eorum · Eratis enim aliquando tenebræ · nunc autem lux in domino · ut filii lucis ambulate · Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia · et ueritate · probantes quid beneplacitum sit deo · et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum · magis autem redarguite · Quæ autem in occulto fiunt abipsis · turpe est et dicere · Omnia enim quæ arguuntur a lumine manifestantur · Omne enim quod manifestatur lumen est · Propter quod dicit · Surge qui dormis et exurge a mortuis · et illuminabit te xs · Videte itaque fratres quomodo caute ambuletis · non quasi insipientes · sed ut sapientes · redimentes tempus quoniam dies mali sunt · Propter hoc nolite fieri imprudentes · sed intelligentes quæ sit uoluntas domini · Et nolite inebriari uino in quo est luxuria · sed impleamini spiritu sancto loquentes uobismetipsis in psalmis et hymnis · et canticis spiritalibus cantantes et psallentes · in cordibus uestris domino · gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri iesu xi · deo et patri · subiecti inuicem in timore xi · Mulieres uiris suis subdite sint sicut domino · quoniam uir est capud mulieris · sicut et xs est caput ecclesiæ · ipse saluator corporis · Sed sicut ecclesia subiecta est xi · ita et mulieres uiris suis in omnibus · Viri diligite uxores uestras sicut et xs dilexit ecclesiam · et se ipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret mundans lauacro aquæ in uerbo · ut exhibeat ipse sibi ecclesiam non habentem maculam aut rugam · aut aliquid eiusmodi · sed ut sit sancta et immaculata · Ita et uiri debent diligere uxores suas tanquam corpora sua · qui suam uxorem diligit semetipsum diligit · Nemo enim unquam carnem suam odio habuit · sed nutrit et fouet eam sicut et xs ecclesiam · quoniam membra corporis eius sumus de carne eius et de ossibus eius · Propter hoc relinquet homo patrem et matrem · et adhærebit uxori suæ · et erunt duo in carne una · Sacramentum hoc magnum est · Ego autem dico in xo et in ecclesia · Verumtamen et uos singuli unusquisque suam uxorem sic sicut seipsum dilig

frs!